

18.

I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

DE

F E U D I S DE C A M E R A ET C A N E V A,

Quam

Affulgente Divini Numinis Clementia,

Decreto & Authoritate

Magnifici JCtorum ordinis

In Illustri Argentoratensis Universitate

Pro

Summis in Utroq; Jure Honoribus

& privilegiis Doctoralibus ritè impetrandis

S O L E N N I

ac placido Eruditorum Examini

subjicit

MATTHIAS ROESCH, Argentor.

Ad d. Junij Anno M DCCI.



ARGENTORATI,
Ex Officina JOSIAE STADELLI, Acad. Typogr.

10

33
782

1701, 9^a

VIRO
MAGNIFICO, NOBILIS-
SIMO, AMPLISSIMO,
PRUDENTISSIMO
DOMINO
FRANCISCO
REISEISENIO,
REIPUBLICÆ PATRIÆ
CONSULI REGENTI
TREDECIMVIRO
atque
SCHOLARCHÆ GRA-
VISSIMO,
MECÆNATI OPTIMO
MAXIMO.



Uod devota animi
submissione TUO,
VIR MAGNI-
FICE, conspectui commen-
dare sustineam leves hasce po-
sitiones, proprio nitore destitu-
tas, omnem ab Illustri nomi-
ne TUO splendorem mutuan-
tes; id eâ mente fit, ut seras
licet, attamen sincero affectu
): (2 pri-

primitias studiorum meorum
Inaugurales, MAGNIFI-
CENTIAE TUAE, cui
præter vitam, quam parenti-
bus debo, omnia accepta re-
fero, tanquam certissimam
grati animi tessera publicè
consecratas velim. Quem-
nam enim potius Dissertatio-
nis hujus Patronum eligam,
quam TE, Virum Summum,
de me optimè meritum, qui
à primâ statim infantia sub
suavissimis me patrocinij TUI
alis fovisti atque protexisti, qui
cum triennis patre orbarer,
genitoris vices ultrò suscepisti,
pueri

*n
I
ii
j
e
r
,*
*i
h
I
i
,*
*pueri indefessam curam gessi-
sti, studiis destinatum TUA
quasi manu duxisti, adolescen-
tem hospitio exceptum aluisti,
tantisque ad hoc usque tem-
pus mactavisti, atque adhuc
dum mactas beneficiis, ut per-
fectissima TE plus quam pa-
ternæ fidei in me pietatisq; spe-
cimina edidisse omnibus pa-
teat. Beneficia itaq; adversus
infinita beneficia TUA hic TI-
BI offero, VIR MAGNI-
FICE, sed non paterna,
qualia in TE expertus sum,
non realia, verum in positio-
nibus quibusdam tumultuarie*

J:(3 exa-

*exaratis consistentia, non ve-
ra sed chartacea, non tan-
quam redhostimenta, sed vel-
ut indubitata gratæ mentis
pignora, adeoq; cum istis, quæ
TUA benignitas in me con-
tulit, minime comparanda.*

**FEUDA DE CAME-
RA ET CANEVA**

*præsento, non ut investiens,
sed ut cliens, non ut dominus
sed ut vasallus, eâ tamen sem-
per manente differentiâ, quod
uti solubile refutatione vasal-
li vel alio quolibet modo est
vinculum feudale, ita mea ob-
ligatio perpetua sit, omnisque*

re-

renuntiationis & dissolutionis
plane expers. Major vasal-
liticâ est, quam TIBI TUIS.
que debeo, fides; illimitata
plane sunt, ad quæ TIBI
TUISque obstringor, servi-
tia; Utinam vires suppeterent
reapſe iſthæc præſtandi & gra-
tam aduersus Tantam Bene-
ſificantiam mentem demon-
ſtrandi. Sed iſthanc quidem
in me aptitudinem haud de-
prebendo. Quod proinde
unicè mihi relictum video,
D E U M T E R O P T I-
M U M M A X I M U M
ſupplex adoro, velit, quibus


e 90

ego vel recensendis impar
sum, TUA in me beneficia
largissimâ benedictione com-
pensare, mihique aliquando
largiri vires, quo si non erga
TE IPSUM, tamen erga
MAGNIFICI Nominis
TUI Consortes ipsomet opere
declarare valeam quanto ar-
dore sim

REISEISENIA NÆ Familia

addictissimus
Cliens

MATTHIAS ROESCH,
Arg.



PROOEMIUM.



On latebit TE, B.L.
menses ante aliquot
positiones quasdam
ex materia substitutionis pupilla-
ris desumptas, sub Consultissimi
Excellentissimique Viri Domini
D. JOHANNIS HENRICI
FELTZII, auspiciis solenniter
pro virili à me defensas fuisse. Se-
dit tum temporis animo, exerci-
tij. Inauguralis loco Dissertatio-

A nem

nem aliquam de substitutione
compendiosa conscribere. At
sicuti mens hominis plerumque
solet esse novitatis avida, nimi-
umque rerum varietate oblecta-
tur, ego quoque eidem denuò
materiæ insistere nolui. Quod
autem hanc præcise feudi impro-
prij speciem elegerim, non aliam
Tibi rationem reddere valeo, ni-
si quod fortè fortuna eo maximè
tempore in eam inciderim, quo
in perlegendō juris feudalis sys-
temate quodam occupatus eram.
Et quamvis jura nostra nobilio-
ra longè, usque fori frequentiora
the-

themata eaque innumera dispu-
tatuero suggerere non diffitear,
nullum tamen obtinendo scopo
meo aptius, thesibusque publicæ
ventilationi exponendis conveni-
entius invenire contigit. Quodsi
Tibi accuratiora forte expectan-
ti propositum meum displiceat,
ignosces pro consueta humanita-
te Tua prolixitati brevitatem ex
sontica causa præferenti.

VALE.

THESIS I.

DE Feudo de Camera
& Caneva quædam Dissertationis Inauguralis loco dictu-
rus, haud male me facturum

A 2

arbi-

585

arbitror, si priusquam rem ipsam aggrediar, brevibus saltem in vocabuli *feudi* originem inquiram. Sicuti autem non omnium una est circa derivationem ejus opinio cum alii à Latina voce, fide, alii à Longobardica feida, alii aliunde descendere autument, vid. *Borcholt. de Feud. c. 1. n. 5. Struv. c. 2. §. 1. n. 6.* ita nos rejecta aliorum sententia *Celeberrimum Virum Dn. Joh. Schilterum* sequimur, qui *c. 1. Introd. ad J.F. & Comm. ad J.F. A. ad rubr. §. 7.* vocabulum *feudi* nativum ac vernaculum fori Germanici feudalis esse statuit, adeo quidem, ut ex eo in civitatem latinam mediæ ætatis receptum fuerit. Id quod cum ex antiquis monumentis, quibus loco feudi legitur *Feodum*, tum etiam ex ipsa vocis *feodi* etymologia clarissime probat. Ostendit enim *Feodum* derivari à *Fee*, quod stipendum significat, & *od*, quod bonum denotat, quæ duo si con jungas, apparebit, *feudum* nihil aliud esse, quam bonum stipendarium, contradic-
stinctum.

stinctum allodio vel adelodio, quod nullo stipendii onere gravatum. Sed properantibus ad scopum nostrum diutius hisce inhærere non licet. Hinc plura de materia hac legere cupientem ad Glossaria Speelmani & du Fresne nec non Thomam Cratium, JCTum Scotum remittimus.

TH. II.

Hoc Feudum ratione objecti dividitur in feudum corporale, quod consistit in re corporali, eaque vel immobili regulariter, vel mobili etiam ex pacto; vel incorporale, quod datur in re incorporali. Ad hanc Feudorum incorporalium classem, Cameræ quoque & Canevæ feuda referuntur de quibus ex professo agendi animus nunc est.

TH. III.

Ne vero confusionis notam incurrentes sine decenti ordine procedamus, primo loco sciendum est, quid per Cameram, quidve per Canevam intelligatur. Cameræ vox sumitur vel sensu vulgari, pro quo-

A 3

cun-

cunque cubiculo vel triclinio, quod promiscuis privatorum usibus patere solet. Vel sensu excellentiori, ita ut non tantum judicium, & quidem summum, denotet, veluti Cameram Imperialem in Imperio, sed & ærarium seu conclave, in quo pecunia Principis vel Domini asservatur. Testis est *Eginhardus in Testam. Caroli M.* verbis sequentibus: *Incipit descriptio atque divisio, quam perfecit de Thesauris suis atque pecunia, qua in illâ die in Camera ejus inventa est.* Hæc vocis hujus ultima acceptio hodiernis quoque Germanis familiaris est, quippe qui Cameram Principis vocant, quod alias ærarium dici solet. *Die Fürstliche Kammer/ hinc bona Cameralia, Kammergüter.* Atque hunc significatum intendit Feudista *z. feud. I. I.
z. feud. 58. pr. &c.* id quod ex ipsa textus lectione adhuc clarius patescit.

TH. IV.

Longe obscurius est *Canevæ*, quam Cameræ vocabulum, id quod ex diversis Dd.

Dd. opinionibus elucescit. Alii enim vocem hanc tanquam Go tho-Saxonicam derivant à *Ryse* vel *Raawe* quod dicunt locum esse ubi grex custoditur & saginatur. vid. *Struv.* c. 4. aph. 18. alii à *Cavitate*. *Voss.* de *vit.* serm. l. 3. c. 3. *Vulteius* l. 1. de *feud.* c. 8. n. 13. Cavenam dictam existimat, quasi Cameram avenæ. Præter hos sunt etiam alii, qui non legunt Cavenam sed Caneva, quos inter est *Cujacius*, cui adstipulatur *Magnific.* *Schilter.* *Introd.* ad *J. Feud.* A. c. 9. §. 30. quem etiam nos sequimur; ut jam omittam illos, qui voculam hanc per caveam, Canipam, Canuam enuntiant sed male. Quotquot autem sunt Doctorum circa vocis hujus derivationem sententiæ omnes tamen in eo conveniunt, quod per eam nihil aliud intelligatur, quam cellarum, horreum penuarium, in quo vinum, frumentum, vel annona Principis vel Domini asservatur, in quo significatu, cum melior vix dari possit, nos quoque acquiescimus. add. su
prad. *glossaria.*

TH. T.

TH. V.

Pergendum nunc statim esset ad definitionem, nisi aliqua adhuc *quaestio præjudicialis* expedienda foret. Notum est, feudum in genere dividi in proprium & improprium. Ad melius E. formandam definitionem hac occasione quæritur: Ad quamnam classem referenda sint feuda nostra? Ordinariam feudorum naturam sequi exinde argui posset, quod licet ea in re incorporali consistant, nihilominus rebus immobilibus accenseantur 2. *feud. 1. I.* Deinde quod expressis verbis feudorum rectorum nomine veniant. 2. *feud. 2. I.* Sed hisce non obstantibus feuda Cameræ & Canevæ impropriis adnumeramus I. quia feuda propria in rebus immobilibus consistunt; Omnis autem res immobilis est corporalis, licet interdum incorporales intellectujuris etiam eò referantur, quod tamen jam improprietatem involvit. II. quia res immobiles in feudum datæ possideri dicuntur, incorporales vero quasi possideri. III. quod

quod feuda propria regulariter transmittantur, ad heredes, feudum vero de Camera vel Caneva personam non egrediatur, de quo tamen infra pluribus. Neque obstat quod rebus immobilibus accenseantur res incorporeas; dum enim ad res immobiles referri dicuntur, jamtum apparet; eas reverâ tales non esse, sed potius fingi, quò scil. feudum in ejusmodi re constitutum sustineatur. Et quamvis ipse etiam feudista feuda nostra recta nominet, rectum tamen ibi non idem est ac proprium, sed hoc vult, vasallum jurare debere, recte sese atque juste possidere. Sed satis de his. Pergimus ad definitionem.

TH. VI.

Variæ à Doctoribus feudorum de Camera & Caneva afferuntur *definitiones*, quas quippe non adeò accuratas paucis examinare liceat. *Vulteius* ea definit per stipendia vasallo à Domino ex ærario vel penuario suo præstanda. Ubi notandum, quod præter illud, quod feudi de Camera

B

vel

vel Caneva genus minus commode, per stipendum exprimatur, fidelitatem quoque tanquam requisitum essentiale omnium feudorum, & servitia ob quæ præcipue feuda nostra dari solent, penitus omit-tat. *Finckelthaus* ita describit: quod feu-dia de Camera vel Caneva sint, cum ex ærario vel fisco Principis certa pecunia summa, vel ex penuario seu cellario annona annuatim solvenda alicui conceditur. Nec hæc descriptio, quippe quæ perinde ac prior præter genus & fidelitatem & ser-vitia neglexit, accurasier est. *Struvius* ser-vitorum quidem meminit, dum feuda hæc dicit esse, quæ constituuntur ob ser-vitia in certo reditu ex ærario Domini sol-vendovo vel in vino frumentove ex cellâ Do-mini præstando ad dies vitæ. Omittit ve-ro etiam differentiam specificam feudi in genere, quam absolvit fides vasallitica. Nec illud perpetuò verum est, quod hæc Cameræ vel Canevæ feuda ad dies vitæ va-salli extendantur, cum textus 1. *fend.* 2. & ipsa

ipsa quoq; J. Feudal. analogia longe aliud
nos doceat, de quo tamen in sequentibus.
Perfectior est hisce modo enarratis *Stry-
ckij*. definitio quam habet *Ex. J. Feud.* 4.
57. 59. nec tamen omnibus numeris per-
fecta, cum & ipse feuda nostra morte de-
mum vasalli expirare statuat. Nec omit-
tendus *Rosenthal*, qui in eo etiam mihi
peccasse videtur, quod præstítantum ser-
vitii mentionem faciat, quasi præstanta
excluderentur. Adeò autem comprehen-
duntur, ut feuda nostra ferè semper ob
præstanta, rarissimè ob præstita servitia da-
ta fuerint. Modo recensisit Virorum eru-
ditorum definitionibus nostram quoque
subjungere liceat sequentibus verbis:
**FEUDA DE CAMERA VEL CANE-
VA SUNT FEUDA IMPROPRIA,
QVÆ A DOMINO VASALLO SUB
CONDITIONE FIDEI ET SERVITIO-
RUM IN CERTO REDITU EX Æ-
RARIO QVOTANNIS SOLVENDO
VEL IN CERTIS FRUCTIBUS EX-**

B 2

CEL-

CELLARIO DOMINI ANNUATIM
PRÆSTANDIS CONSTITUUNTUR,
REGULARITER PERSONALIA; ET
FINITO OFFICIO VEL ADMINI-
STRATIONE EXPIRANTIA. Sed hisce
majorem adhuc lucem affudent ea, quæ
in sequentibus dicentur.

TH. VII.

Quod *divisiones* feudorum de Came-
ra vel Caneva attinet, quas Doctorum qui-
dam adinvenerunt, eas nullo modo ap-
probare possum. Sunt ex eorum classe,
qui alia propria, alia impropria esse op-
niantur, quos inter est *Struvius 2.18.1.* pro-
pria ea vocans, quæ ad heredes sunt trans-
missibilia, impropria vero ea, quæ cum per-
sona extinguiuntur. Sed cum jam in *θ.4.*
ostenderimus, Feuda de Camera & Caneva
non tantum ratione durationis sed & ra-
tione objecti impropria vocari, satis inde
apparet, divisionem hanc vanam atque
nullius momenti esse. Atque ita potius
dicendum: Omnia feuda de Camera vel
Ca-

Caneva nullo quidem excepto esse impro-
pria intuitu objecti, in quo constituuntur;
id quod tamen ratione durationis non
procedit, sed ita habendum: Feuda de
Camera vel Caneva regulariter sunt per-
sonalia, ita tamen ut contrahentium con-
ventione perpetua fieri queant. Tutiō
Paulō via videtur incedere *Vulteius*, qui 1.
8. 13. feuda nostra vult esse vel gratuita vel
officiosa. Hæc iterum vel nominata vel
innominata. Ad gratuita refert feūdum
Soldatæ, quod 2. *feud.* 10. dicitur consiste-
re in certa pecunia summa ex ærario vel
in annona ex peniario præstanta. Sed
cum & gratuita sit, ex communi Docto-
rum opinione, & semper morte dantis ex-
tinguitur; Feuda autem de Camera vel
Caneva regulariter propter servitiam conce-
dantur, neque præcisè morte Domini fini-
antur, hæc quoque divisio non magnifica-
cienda, sed ita potius incedendum est, ut
dicatur, propriam feudorum nostrorum
naturam esse, ut sint onerosa vel officiosa;

ab hac autem regula excipiendum feudum Soldatæ, quod gratuitum. Ita plerique Doctorum volunt. Dissentit hinc non quidem sine gravi ratione *Magnif. DN. D. Schilter.* solidis probans argumentis feuda Soldatæ non ob præstata præcisè, sed potius ob præstanta servitia data fuisse equitanibus, qui velut ignobiles atque plebeji opponebantur equitibus, qui sexto clypeo militari gaudebant; illi vero Burgenses septimo. Hinc etiam feudum hoc inter ignobilia refertur, vid. *Comm. ad J. F. A. p. 41.* add. *Dadin. ab Alleserra de Orig. & Stat. Feud. Gall. cap. 3.* Sic quoque ad feuda de Cam, vel Can. officiosa nominata feudum Guardiæ & Gaftaldiæ tantum refert *Vulteius*, quasi alia non darentur. Et quamvis negari non possit tales præstationes ex ærario vel cellario Domini tanquam stipendia ob servitia solvendas esse, & per consequens hæc feuda jure meritoque de Camera vel Caneva dici posse, in eo tamen peccavit *Vulteius* quod reliqua ad hanc clas-

classem pertinentia feuda omiserit, veluti
feudum Ambachtiæ, quod tamen amplis-
simum est, & plura continere potest jura,
cancellariatus, jurisdictionis decaniæ alia-
que, quæ non minus ac ista duo tanquam
stipendia propter officia præstanda veni-
unt, atq; eapropter etiam ad censem feu-
dorum nominatorum referri merentur.
Feuda vero de Cam. vel Canev. nominata
vocat, quorum Jus Feudale expressam fa-
cit mentionem; innominata, quorum
non meminit. Plura enim dari extra con-
troversiam positum, quoties scil. pro offi-
cii alicuius administratione certi redditus
ex ærario vel cella præstandi.

TH. VIII.

A divisione progredimur ad *causam*
Efficientem, quæ iterum est vel remota vel
proxima. Quoad remotam primo loco no-
minandum Gentium jus. Cum enim in-
dubium sit, feuda in genere ex hoc jure
originem suam habere i. quia naturalis
ratio dictitat, bene meritos præmiis affici-
endos.

945

endos. 2. quia omne feudum prævia conventione vel contractu constituitur, contractus autem juris Gentium esse ex §. 3. *J. de J. N. G. C.* constat. 3. Quia feudorum usus non uni sed pluribus gentibus familiaris est vid. *Magnif. Dn. D. Schilter. aph. 5. J. de J. N. G. C.* hinc clarè patet, nostrorum quoque feudorum incunabula ex eodem Gentium jure petenda esse, cum quicquid prædicatur de genere prædicari etiam debeat de specie; præcipue vero cum & feuda de Cam. vel Can. non apud unicam forte gentem, sed apud Gentes in usu fuerit; Ita de Anglis testatur *Dadin. ab Alteferra* allegans *Polid. Vergilium l. 19. hist. Angl.* Gallis quoque feuda nostra ignota non fuisse ex *Order. Vitalis l. 6. hist. Eccl.* patescit. Imprimis autem Longobardicum jus allegandum hic est, quippe quod tribus diversis locis feudorum de Cam. vel Can. mentionem facit. I. quidem 2. *feud. 1. 1.* ubi feudum consistere debere dicitur, in rebus soli vel talibus, quæ rebus immobili-

bilibus accensentur, qualia sunt nostra.
 II. Dum 2. feud. 2. i. de probatione feudi
 agitur. III. Quando 2. f. 58. pr. feudista vult
 tum demum feudis nostris locum esse si
 fit in Camera unde solvi possit. Aleman-
 nicum quoque jus licet hæc duo de Ca-
 mera & Caneva feuda non conjungat sic-
 ut Longobardicum, integrum tamen de
 feudo de Camera titulum exhibit, quo et-
 iam feudum de Caneva referri debet, cum
 quoad hoc eadem sit juris dispositio. vid.

J. F. All. c. 102. von Hammer-Lehen.

TH. IX.

Causa Efficiens *proxima* feudi de Ca-
 mera vel Caneva adhuc constituendi, quo-
 ad actus inter vivos est eadem quæ feudo-
 rum in genere voluntas scil. contrahenti-
 um expressa, quæ sese exserit promissione
 de feudo præstando, ipso contractu feuda-
 li mediante investitura abusiva celebrato,
 ita quidem ut in actibus mortis causa ul-
 tima defuncti voluntas promissioni dictæ
 æquiparetur. Feudi vero jamjam consti-

C

tuti

utti causa Efficiens est, vel prævio contra-
ctu facta traditio seu investitura propria
qua, scil. jus in re acquiritur; vel præscri-
ptio qua investitura vera intervenisse fin-
gitur. Cum vero ad constitutionem feudi
traditio requiratur, res vero incorporales,
in quibus feuda nostra consistunt, tradi-
nequeant, sciendum est, quasi traditionem
quoque sufficere, quæ in permissione usus
fæse prodit, dum enim vasallus non prohi-
betur uti jure suo, Dominus quasi tradi-
sse creditur. Et licet quoque *lege* 40. ff.
de Usuc. dicatur, res incorporales usucapi
non posse, ob id quod possideri neque-
unt, quasi tamen possideri & per conse-
quens quasi usucapi seu præscribi possunt
l. pen. de præscr. 30. vel 40. ann. Hoc autem
in nostris feudis vix obtinebit, quippe quæ
finita administratione quolibet anno re-
gulariter præscribi possunt. Occasione
præscriptionis, cuius modo mentionem
fecimus, illud etiam notamus, quod Dd.
communiter ad 2. *feud.* 2. 1. monere solent,
aliam

aliam scil. esse præscriptionem feudi ipsius, aliam probationis feudi. Illa secundum jus Longobardicum in feudis in genere 30. annorum tempus requirit, neque præscriptio Juris Civ. hic sibi locum vindicat. Hæc autem in rebus corporalibus anno in incorporalibus vero quod nostra spe-
ctant, bis vel ter repetito usu perficitur. Ad hanc causam Efficientem referre quoq; solent alias sententiam judicis in judiciis divisoriis. Sed cum ea in feudis nostris vix locum inveniat ordinariè hisce non immo-
rabimur, nihil quoq; de successione, quæ aliæ etiam huc refertur, dicturi, cum feu-
da nostra de Camera vel Caneva ad here-
des non sint transitoria.

TH. X.

Feuda nostra conferendi potestatem ha-
bent, quibus feuda in genere dare licet,
quales sunt Domini. Hac occasione quæ-
ritur annon forte procurator fisci vel æra-
rii feudum de Cam. vel Can. constituere
possit? Ratio dubitandi est, quod videa-

C 2

tur

tur liberior esse publici quam privati procuratoris potestas. Sed resp. quo major ex re ad universitatem spectante distractâ damnum atque præjudicium oritur, eò limitatiorem quoque esse debere alienandi facultatem. Præter dominium, quod illi qui feuda conferre volunt, habere debent, requiritur etiam secundo loco, ut alienandi facultate gaudeant. Hinc prohibentur, qui nullum plane vel non dum perfectum animi judicium habent; quales sunt pupilli, minor, furiosus prodigus *arg. l. 4.*
C. de præd. min. Struv. s. 4.4. Hi omnes, quippe qui nulla plane feuda dare queunt, nec nostra concedere poterunt. Hic dubium quis exinde nobis movere posset, quod personis hisce in feudum concessio ideo prohibita sit, quia regulariter res in feudum danda vasallo unâ cum dominio utili sit tradenda. Quod ipsum licet non totalem attameni ex parte alienationem infert, utilis scil. dominii, quæ qualisunque sit alienatio personis supra me-

mo-

moratis interdicta. Sed cum haec rei feudalis ad vasallum
 translatio, in feudis de Camera vel Caneva plane non
 obtineat, arario vel penuariori semper apud Dominum
 manente, non absone hic queritur: an etiam ab ho-
 rum feudorum constitutione arcentur minores prodi-
 gi? sed resp. affirmative. Quamvis enim ipse fiscus vel
 cella ex quibus redditus vel fructus praestantur in pleno
 conferentis dominio maneat, ipsa tamen praestationes
 annuae alienantur, pupillus vero minor, prodigus nul-
 lius plane alienationis capaces sunt, adde quod melio-
 rem conditionem suam reddere possint non deteriorem.
 Hoc autem casu fieret deterior; quod adeo verum est,
 ut nec cum tutoris vel curatoris auctoritate vel con-
 sensu celebrata infedatio ullum habeat vigorem. An
 scemina feuda nostra concedere possit? Resp. non ali-
 ter nisi sit Illustris, Principissa, Comitissa vel similis.
 Talis enim esse debet, quae ararium vel fiscum habeat:
 Plebejum à feudorum nostrorum concessione exclu-
 di, exinde apparet, quod arario cellarioque plane desti-
 tuatur. Opponi posset quoad feudum de Camera quod
 licet plebejus vel privatus fisco careat, habere tamen
 possit penuarium sed resp. non quodlibet hic intelligi
 penuarium privatum; sed publicum, id quod perpetua
 feudorum de Camera vel Caneva conjunctio, quae ex le-
 gione ipsius textus patet, satis demonstrat. Prelati
 quoq; Ecclesiae, Episcopi, Abbates aliiq; licet feudum no-
 rum in rebus Ecclesiae sine consensu capituli conferre ne-
 queant, vid. Struv. 5. 9. 2. feendum tamen de Cam. vel Can.
 concedere possunt, quia tanquam Principes in terris suis
 liberam dum vivunt de arario suo disponendi facultatem
 habent; feendum autem de Camera vel Caneva invito
 herede ultra mortem dantis non extenditur. Denique
 nec illud omittendum, filium quoque Principis feuda de

C 3

C 2

Camera & Caneva constitueri posse, si scil. intuitu forte bonorum adventitiorum ætarium proprium habeat. Quamvis enim alias Jure Civ. Rom. pater harum rerum usumfructum acquirat, hoc tamen jure hodierno cessat, præcipue in personis illustribus. Cum ergo filius plenum acquirat horum bonorum dominium, non video, cur non æque de ætario vel penuario suo atque de ceteris rebus adventitiis disponere possit. Imo si filius possidat beneficio patris bona profectitia ipsius sustentationi destinata, dicendum est, ex fisco intuitu harum rerum ipsi competente certos redditus in feudum dare licere.

TH. XI.

Accipere feuda de Camera vel Caneva possunt regulariter omnes illi, qui feuda in genere acquirunt, quales sunt pupilli, minores cum tutorum vel curatorum auctoritate atque consensu. Qu. quid de infante dicendum & furioso: an & illi feuda & in specie de Camera vel Caneva acquirere possint. Resp. negando, quia regulariter in hisce feudis singularis vasalli fides eligi solet; secus si per substitutum servitia præstare possint vel ad servitia non sint obligati, veluti in feudo Soldatæ, ex communi Dd. opinione. Qu. etiam an clericus feudi de Camera vel Caneva sit capax? Affirmatur regulariter, quia licet alias per substitutum uti alij inhabiles servitia præstare possint, hic tamen ipsi in persona servire possunt, quia palatina officia, ob quæ feuda nostra dantur ordinariè sivebunt, licet non omnia, neque officia, quod specialiter personæ fides respicitur, veluti in feudo Guardiæ Gaſtaldia aliisque; nam idem etiam in Clericis locum habet. vid. 2. fendl. 40. §. fin. Idem quoque de foemina dicendum, quæ & ipsa ad servitia palatina licet non ad militaria idonea esse creditur. vid. Struv. §. 12. princ. Excipliuntur à regula modo dicta superio-

stiores, qui ab inferioribus æratium scil. vel pentuarium non habentibus feuda talia accipere nequeunt; secus est si inferior fisco gaudeat. Hinc non video, quid impecdiatur, quo minus civitas Imperialis Principi ob servitiam forte militaria feudum de Camera ex æratio suo constitueret possit, licet alias dignitate longe minor. Hinc ut superior ab inferiore feudum de Camera accipere queat, requiritur, ut hic æratium vel cellam habeat, quod singulariter est in his feudis, cum in aliis inferior superiori simpliciter feudum constitutere possit. z. f. 100. An & rustico feuda nostra concedantur? Affirmamus, cum nullibi prohibeantur. Ratio dubit. est, quod feuda ordinariè constituantur ob servitiam militaria, rusticus autem per textum z. feud. 27. §. 5. nequidem lanceam vel arma portare possit. Sed resp: feuda nostra regulariter dari propter administrationem aliquam, quæ etiam rustico deferri potest, quamvis hoc rarius fiat, neque etiam hoc casu in priori statu maneat. Et licet *Jus Saxonum Feudale* c. II. rusticum à feudi acquisitione penitus excludat, consuetudine tamen aliud observatur Cz. 3. 28. 5. Coler. dec. 77. Rauchbar. p. 2. quest. 21. n. 27.

TH. XII.

Objectum quod attinet, norandum quod feuda regulariter in rebus corporalibus immobilibus constituantur; à qua tamen regula excipiuntur nostra feuda. Hinc frustra quær. an ea in rebus, sacris, religiosis, sanctis consistere possint, cum res hæ corporales sint, nostra vero feuda non in rebus sed jure percipiendi annuas pensiones faciat, vid. *Magnif. DN. D. Schilter. §. 8. seqq. J. de R. D.* Ast illud in questionem venit: annon Prælatus Ecclesiæ in redditibus Ecclesiasticis feuda de Camera vel Canavæ concedere possit? Resp. affirmando, si redditus ad æratium vel pentuarium ipsius pertineant. Extra hunc

casum in aliis redditibus constituta, vix de Camera vel Caneva feuda dici merentur. Hinc apparet non in quibuscumque redditibus feuda nostra consistere posse, cum alias etiam quilibet privatus feuda hæc concedendi facultatem haberet; sed præcisè, ut Camerale sint, requiritur. Sic quoque nec omnes præstationes annue in feudum datæ à Principe feudum de Camera efficiunt, nisi ad ærarium sese referant, quod tamen regulariter præsumitur. Porro cum in fisco non tantum jura sed & res & quidem immobiles inveniantur, quæstio exurgit; an & res fisci immobiles in feudum concessæ cum honore feudi reati ad Cameræ feuda referri queant? Videri posset hæc majori jure ita dici posse, quam ea, quæ in annuis præstationibus consistunt. Sed cum textus 2. *feud.* 2. 1. expresse afferat; feuda nostra non in rebus soli, sed talibus, quæ rebus immobilibus adnumerantur, constitui, dicendum est, feuda ejusmodi intuitu ærarij, ex quo præstantur, ita vocari posse, sed non ratione formæ, cum textus modo citatus disertis verbis dicat, ea non in re sed jure aliquo dari solere. An princeps reditus ex mari forte nondum occupato provenientes vel alias res jure Gentium communes tanquam aliquod de Camera feudum dare possit? Negatur, quia res tales nondum in libera Principis dispositione sunt. E. nec ad Cameram ejus spectare possunt arg. §. 1. *J. de R. D.* An res aliena in feudum de Cam. vel Can. dari possit? inanis est quæstio, cum nulla in his feudis rei ad vasallum fiat translatio, sed ærarium, ex quo reditus solvuntur, in pleno sit concedentis dominio. Si vero forte pecunia quotannis præstanta non sit fiscalis, sed aliena, vel fructus non ex cella domini, vasallus quidem nummos retinet; dans vero ad restitutionem teneatur domino nummorum. Possunt etiam si adhuc salvi existant, à vero domino vindicari. Præterea notandum, quod

quod ad classem earum rerum, quæ feudi qualitatem respuunt, referantur etiam res pacto alienari prohibitæ, nec non subjectæ fideicommissio. Qu. ergo; an si princeps intuitu horum bonorum æriarium vel cellarium publicum habeat, redditus exinde provenientes in feudum de Camera vel Caneva concedere possit? Affirmatur, ratio 1. quia hic nulla alienatio metuenda, cum nulla res transcat ad vasallum. 2. Quia fructus ex rebus hinc percepti pleno dominio acquiruntur domino E. libere etiam de iis disponere, eaque in feudum dare non prohibetur. 3. Quia regulariter hæc feuda constituuntur propter officia gerenda, quibus morte dantis finitis, heres invitus non tenetur. Illud addendum, concessionem reddituum fiscalium in feudum parce fieri debere, ne res publica, dum nimia Principis liberalitate vires ejus minuuntur, notabile inde detrimentum capiat.

TH. XIII.

Hactenus de personis rebusque vidimus, quas bono ordine excipit ipsa feudorum nostrorum *forma*, quam ponimus in jure in re incorporali (percipiendi scil. redditus annuos ex Cam. vel Can. domini) personali, sub conditione fidei vasalliticæ & servitorum regulariter officialium. Dico consistere in *jure in re*; quo excluduntur iura ad rem, quæ obligationem & actionem producunt non realem, veluti feuda, sed personalem, qualia jura sunt conventiones & delicta, ex quibus agitur contra personas nullo habito respectu rei; secus atque in juribus in re, ubi reus convenitur propter rem obligatum. Porro objicis, feudorum de Cam. vel Can. formam non tam in jure in re quam in dominio utili querendam esse: 1. quia quælibet res definienda potius per genus proximum quam remotum, 2. quia feuda in genere semper per dominium utile describuntur. Evidem negari non potest,

D

in

in rebus corporalibus, quatum possessio cum jure utendi fruendi, easque vindicandi ad vasallos transmittitur, utile dominium competere. Sed cum feuda de Cam. vel Can. non in rebus consistant, sed iutibus, nec res aliqua vasallo tradenda veniat, vix est, ut beneficiato tali titile dominium concedamus, nisi dicas, juris utile dominium transire, quod tamen non verum sed quasi dominium es-
 set, quo nomine etiam interdum utimur in aliis juribus
 in re veluti usufructu. *In corporali.* Hinc feuda nostra differunt à feudis propriis, quorum objectum est res cor-
 poralis, & quidem naturaliter immobilis. Feuda autem Cam. & Can. quippe in rebus incorporalibus vel fictione
 juris immobilibus consistentia ab ordinatio hac feudo-
 rum natura deflectunt. Hic quoque removenda veniunt
 impropria feuda, ea sc. quae in rebus immobilibus vel im-
 primis mobilibus constituantur. Nam hæc postrema re-
 motius adhuc à feudis nostris distant, quam illa, quoni-
 am scil. feuda Cam. vel Can. in dubio rebus immobilibi-
 bus accenseri solent, mobilibus vero nunquam. 2. quia
 integrum harum rerum dominium ad vasallum transit;
 in nostris vero feudis nulla plane rei ad fidelem translatio fit. *Jure percipiendi annos reditus.* Hic separanda ve-
 niunt ea feuda, que quidem etiam in rebus incorporali-
 bus, Juribus scil. constituuntur, sed non præcisè in præ-
 stationibus annuis; qualia esse solent regalia in feudum
 concessa. Et quamvis Vasalli ex his quoque Juribus fru-
 etus quandoq; percipient, ea tamen adhuc differentia est,
 quod in feudis nostris primariò annui reditus respiciantur
 in regalibus vero non item, sed quatenus ex accidenti
 interdum sequuntur. Quod autem feudorum de Cam.
 vel Can. objectum sint præstationes annuæ, ex eo proba-
 tur, quod 2. *fend.* 2. 1. dicitur, illa non in rebus soli, sed iis,
 quæ immobilibus accensentur constitui. *Quales autem*
 res

res incorporales hæ sint ex 1. *feud.* 2. *pr.* constat ubi Guardianus aliquid feudi titulo loco mercedis accepisse dicitur, finito officio, quod regulariter quotannis fieri solebat, 2. *feud.* 94. *revocabile.* Hinc apparet, Guardianum vel Gaſtaldum hoc acquisivissè tanquam stipendium sine domino utili tali, quale alias feuda recta habentibus competit. Stipendia vero vel ſalaria ordinariè ex fisco vel cella præſtanda eſſe probatione non puto indigere. Denique feuda Guardiæ & Gaſtaldiæ ad feuda de Cam. vel Can. pertinet, communis eſt Dd. ſententia, cui & nos adſtipulamur. Vasallo quoque Soldatæ feudum habenti ex ærario vel penuario ſatisfaciendum. Si quæras de materia, Resp. præſtationes annuas ſolvendas, manifesto indicio, feuda de Camera vel Caneva regulariter nonniſi in redi- bus concedi poſſe; id quod etiam aliis exemplis ex jure cum Longobardico tum Allemannico petitis illuſtrari poſſet add. 2. *feud.* 81. *De Camera vel Caneva.* Hæc quoq; verba otiosa non ſunt, ſed removent omnes eas præſta- tiones, quæ non ex ærario, ſed aliunde ſolvuntur. Hinc apparet feuda noſtra nonniſi eum, qui fiscum habet, da- re poſſe. Privatus E. etiamsi feudum præſtationis annuæ concedere poſſit, Germanicè *ein Pfund; Lehen;* ad hunc rāmen censum non pertinet. vid. *Jus Feud. Allemann.* I. 131. Imo Princeps ipſe non ex ærario ſed aliunde feudum conſtituens, valide quidem dat; at feudum de Camera vel Caneva non eſt. Sic quoque ab hac feudorum claſſe ſejungenda ea pecuniaæ feuda, quibus vasallo quotannis uſura ſolvuntur vel ab eo, qui pecuniam à domino di- recto concretitam habet, vel ab ipſo domino, qui uſuras præſtando ſortem ſibi retinet. Nam neque hi reditus fiſcales ſunt, niſi dominus forte vel princeps ſummam ipsam ærario ſuo imputaverit. *Personalis.* Ex hiſce ſua ſponte fluit, feuda alioquin realia ſeu ad heredes tranſeun-

ta huic non pertinere. Cum autem omnia feuda regula-
riter transmissibilia præsumantur, hinc appetet, nonnisi
ea personalia esse, quæ specialiter excipiuntur, qualia sunt,
quibus pactum adjectum hanc legem dixit, vel quæ sua
natura talia sunt, & nonnisi contrahentium consensu
realia fiunt, ut feudum Guardiæ, Gastaldiæ, ambachtiaæ,
procurationis, aliaque multa, quorum in utroque J. F.
frequens mentio sit, quæque propter delata officia con-
stituta, iis revocatis expirant. Hæc omnia ad feuda de Ca-
mera vel Caneva spectant nominata scil. ex recepta Do-
ctorum opinione, ita tamen ut ob multitudinem officio-
rum multa Cam. vel Can. feuda innominata dentur, quæ
tamen ob paritatem rationis eodem iure censerit nullum
est dubium. Personalitatem autem hujus feudi præter
alios impugnat Finckelthaus, qui duas ad stabiliendam
feudorum nostrorum realitatem rationes assert, quarum
1. quod feuda sua naturâ ad heredes transeant, E. & hæc,
cum nullibi contrarium sit dispositum. Resp. regulam
istam officium suum perdere, quotiescumque vel textus
expressi vel etiam juris nostri analogia aliud suadent.
Hoc autem fieri ex collatione textuum, qui hanc mate-
riam concernunt, facile patet. 2. ait, feuda de Camera
vel Caneva absolute feuda vocati 2. feud. 1. 2. Sed nulla
est hujus argumenti vis. Non enim sequitur feudum
Soldatæ, quod ex circumstantiis tale judicatur simpliciter
feudum vocatur E. est feudum reale. Non autem suffi-
cit nosse feuda de Camera vel Caneva personalia esse, sed
& illud addendum, quod finito officio vel administratio-
ne, pro quâ tanquam stipendia vel mercedes solvuntur,
extinguantur, quorum revocatio dependet à libero do-
mini dantis arbitrio vid. 2. feud. 81. ita tamen ut demum
post elapsum anni spatium non vero intra annum du-
rante adhuc administratione repeti possint 1. feud. 2. pr.
exc.

excipitur jure Allem. feudum scuti, quod statim revocari potest dempto scil. scuto vid. c. 101. secus jure Longob. 2. *feud.* 74. Durare potest usque ad mortem accidentis, si scil. eosque durent servitia. Ad heredes tamen non transmittitur, nisi pacto feudorum horum natura alteretur. Non enim feendum pro decania vel alia simili administratione datum cum honore feudi recti scil. concessum præsumitur, nisi expressa lex conventioni adjecta fuerit. Dixi: finita administratione libera concedentis voluntate revocari posse feendum nostrum. Ab hac regula à Doctoribus excipitur feendum Soldatæ, quod non nisi morte dantis finitur 2. *feud.* 10. ratio hæc redditur, quia est gratuitum, beneficia autem non ad annum duntaxat dari præsumuntur vel brevius aliquod tempus sed ad minimum ad vitam ejus, qui concessit, secus in reliquis Cam vel Can. feudis, ubi onere dempto, commodum quoque regulariter cessare debet, sed vid. quæ supra 6. 7. annotavi. Consentit nobiscum *Jus Feud. Allem.* c. 102. ubi feendum de Camera idèo impro prium esse asserit, quia voluntate cum Domini, tum vasalli expirat. Exceptiones tamen quasdam invenies in quibusdam feudorum de Cam. speciebus, quas si nosse velis videsis *J. F. loc. Sub conditione fidei vasallitæ.* Per hanc feudorum in genere differentiam specificam nostrâ quoque feuda ab aliis juribus in re distinguuntur. Unde non tantum à servitute tam personali quam reali differt, sed & ab aliis juris in re speciebus, quibus dominium utile transfertur, quales sunt emphytheusis, qua Canon, superficies, qua annua pensio, jus censiticum, quo census quotannis solvitur. *Servitiorum Officialium determinatorum sc. vel in determinatorum.* In quibus autem hæc servitia consistant, ex speciebus in utroque jure relatis, feudo scil. Guardiæ

Gastaldia; Ambachtia alisque patet, quæ pro feudis de Camera agnita tanquam stipendia vel mercedes pro officiis præstari solent. Ea autem voco determinata servitia, quorum expressis verbis meminit vel Jus Longob. vel Allem. Indeterminata vero ea, quorum mentionem præcisè non faciunt hæc jura. Dari enim plura quam ea, quæ ibi recensentur, dubio carere puto, ob regulam: quotiescumque stipendia ex ætrario vel penuario sub fide vasallitica pro administracione quadam dantur feuda de Cam. vel Can. constitui dicendum.

TH. XIV.

Properamus ad effectus feudorum de Camera vel Caneva qui sunt vel communes alii feudis vel proprij ita tamen ut non exigua quoad illos occurrat diversitas. Effectus communes sunt vel feudi constituendi vel jam constituti. Illi sunt obligatio & actio personalis vel ex conventione vel ex ultima voluntate descendens. Hæc omnia in feudis nostris exulare, ex eo clarescit, quod concedantur propter administrationem regulariter. Posita E. administratione, ponitur feudum. Eâ sublata tollitur. Princeps E. promissione sua non tenetur ad conferendam alicui administrationem, quam statim revocare potest, si scil. res adhuc sit integra. Constituti vero feudi & in specie nostri effectus fluunt ex ipsa societate feudal, quæ perinde ac alias societas jura & obligationes mutuas tam circa personas, quam circa res producit. Ex parte Domini jus circa personam vasalli descendit ex obligatione hujus ad fidelitatem, honorem atque obsequia. Maxime autem hoc jus sese exserit in fidelitate, quæ regulariter debet esse jurata. Et quamvis quoad nostra feuda putare quis possit, illud non adeò necessarium esse, cum quolibet tempore extingui possint, & plerumque etiam talibus personis concedantur, quæ homagium subjectio-

nis

nis præstant, nihilominus à natura feudi communi non
recedendum, præcipue cum in feudis nostris juramentum
fidelitatis surrogetur fidelitati officiali vel ministeriali ju-
ratæ. Huc jurisdictio quoque feudalis resertur, quæ do-
mino feudi de Camera vel Caneva non secus ac aliis do-
minis directis competit quamdiu sc. vasallagium durat.
Jus autem tutelæ quod etiam hue pertinet quodque
Domino competit in defuncti vasalli heredes, in feu-
dis nostris cessat, cum nonnisi ad vasalli mortem du-
rent. Sic etiam consensus Domini in nuptias vasallionis
minus in feudis nostris atque in aliis necessarius est, cum
in hoc nihil reperiatur mutatum vide *Constit. Frid.* l. 3.
tit. 17. Honorem & obsequia quod attinet, ea requi-
scunt perinde ac in aliis feudis. Dictum est hoc jus de-
scendere ex obligatione vasalli. Notandum autem pri-
mariam atque principalem esse hanc obligationem in
persona vasalli radicatam, utpote ejus fides imprimis
electa est. Cum autem præter hanc alia adhuc respectu
scil. rei vasalli sit obligatio, ut scil. cā recte utatur, qui-
libet vider, eam in feudis nostris exulare, cum nulla hic
interveniat rei traditio. Quod autem ad præstationes
annuas, attinet sive bene sive male iis utatur dominio-
rum nihil interest; Cum autem uti supra monuimus ju-
ta circa personas mutua sint, consequens est, Vasallum
etiam certa quædam circa personam domini jura habere
ortum suum ex obligatione domini ad fidem & protec-
tionem trahentia. Quamvis enim in feudi constitu-
tione principaliter fidelitas vasallities respiciatur, ita ut
etiam per hanc ab aliis juribus in re distinguantur, ni-
hilominus etiam in domino fides requiritur, quia vasal-
lus dum fidelitatem spondet, eam etiam sibi vicissim à
Domino stipulari censetur. Protectionem quod spectat,
si absolute consideretur, nullum est dubium, quin etiam
in

in nostris Cam. vel. Can. feudis locum habeat; si vero
 respectu rei in feudum datæ, cessat, quia in feudis no-
 stris nihil ad vasallum transfertur. Ex hisce circa perfo-
 nas tam domini quam vasalli juribus qualis actio resul-
 tet? quæris. Resp. actio præjudicialis, *Diff. Struv.* c. 16.
aph. 2. n. 6. Atque hoc juris remedium in nostris Cam.
 vel Can. feudis eo frequentius occurtere potest, quo pro-
 prius ad administrationem meram vel etiam jura alia præ-
 stationum annuarum accedit. Non autem tantum sunt
 mutua jura circa personas, sed & ea, quæ circa res com-
 petunt. Ex parte quidem domini sunt vel in re vel ad
 rem. Jus in re in feudis est dominium directum. Hinc
 queritur: an hoc jus etiam in feudis nostris reperiatur?
 Id quod negatur, si dominium directum præcisè capias
 pro jure in re corporali, quia scil. in illis ærarij vel pe-
 nuarij, item præstationum annuarum mentio sit. Aera-
 riuum autem vel penuarium in principis pleno manete
 dominio, jam supra dictum, sicuti & præstationum an-
 nuarum plena proprietas vasallo competit, adeò ut sine
 consensu domini pro lubitu iis uti atque abuti possit.
 Quod si dicas non quidem rei sed juris percipiendi redi-
 tus annuos quasi dominium competere, ipse tecum sen-
 tio, quia scil. jus nostrum feudale ad Juris Civ. Rom.
 quod dominii objectum in rebus duntaxat corporalibus
 ponit, regulas astricta non est. vid. tamen *tit. J. de Reb.*
incorp. item *tit. ff. s. serv. vind.* Et quamvis alias
 præcipiūs hujus dominij effectus sit rei vindicatio finito
 feudi jure instituenda, hoc tamen etiam in feudis nostris
 non obtinet, cum nihil quod vindicari possit, vasillus
 habeat. Hinc loco rei vindicationis à Domino exceptio
 doli opponenda præstations annuas finito feudo peren-
 ti. Præter hoc jus in re datur etiam domino jus ad rem
 ex obligatione personali vasalli proveniens, qua teneatur
 de

de dolo & culpa, atque producens condictionem causa
dati causa non secutā, si scil. in fidelitate vel servitiis
præstandis morosus sit. Hæc actio maximum quoque in
feudis de Camera vel Caneva usum habet, quippe quæ
regulariter conceduntur ob servitium palatina officialibus,
in quibus maxima fides cum exacta servitiorum præsta-
tione exigitur. Jus vasalli circa rem potissimum in jure
in re conspicitur, quamvis interdum etiam jus ad rem
locum habeat. Est autem illud dominium utile, quod
proprie in re possessa cum jure utendi fruendi eamque
vindicandi consistit. Sicuti vero in nostris feudis nul-
la vera sed quasi tantum possellio adest, ita nec verum sed
quasi tantum dominium utile, quod rectius juris quam
domini nomine venire potest. Sic quoque nec tei vin-
dicatio in casu nostro vasallo datur nihil possidenti, sed
opus est, ut contra dominum sese à præstationibus im-
munem esse afferentem actione confessoria agat, uti in
aliis juribus in re incorporalibus fieri solet. Ita quoque
ex jure possessionis non verum sed quasi iuterdictum uti
possidetis darur. Ob artissimam inter dominum & va-
sallum societatem, cuius in pr. hujus θ. meminimus feu-
dum nonnisi mutuo utriusque consensu alienari potest.
Et cum præter approbationem domini in feudis anti-
quis consensu eriam agnatorum requiratur, queritur
an hoc etiam in nostris feudis obtineat. Reip. negando,
quia agnatorum nullæ plane in eo sunt partes, cum ul-
tra mortem vasalli non extendatur. Sed hæc circa ef-
fectus cum aliis feudis communes dicta sufficiant.

TH. XV.

Pergimus ad proprios feudorum de Camera vel Ca-
neva effectus, quò pertinet, quod regulariter feuda no-
stra personalia esse præsumantur, de quo jam sup. θ. 13.
Vasallo E. contrarium afferenti probatio realitatis in-

E

cum-

cumbit, quæ fieri debet paribus curiæ vel brevi testato
 1. *feud.* 2. 1. Quodsi vero vasallus neget de Camera vel
 Caneva feudum esse, dominum probare oportet, ita ta-
 men ut beneficiato contraria probatio non denegetur.
 1. *feud.* 4. 3. Adde quod finito officio, quod à vasallo ser-
 vitiorum loco geritur, regulariter feuda nostra finiantur.
Asserenti E. sibi ad dies vitæ concessum esse beneficium,
 probatio injungitur. An subinfeudatio in feudis nostris
 locum habeat? vid. c. 151. *J. F. A.* ubi vasallo expresse de-
 negatur, quoniam scil. ipse jam vicarius est, dominique
 vices gerit, hincque subvicarium constituere nequit; ejus
 enim maxime fides electa est. Huc quoque spectat quod
 2. *feud.* 58. pr. habetur, ubi dicitur, dominum tum de-
 dum ad annas præstationes teneri, si in Camera vel Ca-
 neva sit, unde solvi possit. Cum autem hoc jus plane
 singulare sit, non ita crude ac simpliciter accipendum,
 sed ex sequentibus ipsius textus verbis ita restrin-
 dum, ut dicatur, veram esse hanc regulam, si ex indigen-
 tia vel necessitate evacuatum sit ærarium vel penuarium.
 Quodsi E. nulla necessitate cogente ærarium forte em-
 ptione vini vel frumenti, aut cellarium ejusdem vendi-
 tione ex haustum sit, nullam dominus intuitu præstatio-
 num harunce excusationem meretur. 2. necesse quoque
 est, ut hæc ipsa, propter quam jus hoc conceditur, indi-
 gentia non ex prodigalitate vel luxuria atque sic ex cul-
 pa domini sit profecta. Objicis, ne hoc quidem casu do-
 minum dare oportere ob actionem inanem, vid. l. 6. ff.
 de dolo, & quoniam debitor ad summam paupertatem
 redactus judicium contemnere solet, adeò ut *Martialis de*
Sexto quodam ære alieno presso non ineleganter canat.
L. 2. epigr. 3.

*Sexte nihil debes, nil debes, Sexte, fatemur
 Debet enim si quis, solvere, Sexte, potest.*

Sed

Sed resp. hanc limitationem hoc efficere, ut excludat beneficium competentiae alias regulariter dominis directis competens, adeo ut non tantum omnia ipsis bona ause- rantur, sed & si ad meliorem fortunam perveniant ad plenam solutionem adigi possint. Tertio limitandum, quod consuebat tantum a præstationibus annuis liberetur, donec pinguiorem fortunam invenient, quod tunc fieri intelligitur, si deducto omni ære alieno habeat adhuc, quod vasallo dare possit. Sed præterea competentiae beneficium hoc referendum est, cum expressis verbis in textu nostro dicatur, in feudis nostris dominum in id tantum quod facere potest, condemnari; ratio subjicitur, quoniam dominus & vasallus sunt quasi conjuges, his autem competentiae beneficium tribui ex L. 17. §. 1. ff. sol. matrim. apparet. Porro cum aliud sit feudum in curte, aliud extra curtem, horum autem feudorum diversi dentur effectus, non absone quoque hic queritur, ad quamnam speciem pertineant nostra? Resp. ad feuda in curte. Quamvis enim quidam vocabulum curtis per territorium, alii per jurisdictionem, alii per curiam sive aulam principis explicit, omnes tamen hi significatus feudis nostris sunt convenientes. Interim tamen *Magnif. DN. D. Schilteri* opinionem cæteris præferendam existimamus, quippe ex ipsa vi vocis & propria significatione desumtam. Hic enim per curitem intelligit curiam feudalem seu judicium parium, quorum plura unus sæpe dominus habet. Quocunque autem feudum pertinet ad judicium tale parium, illud recte vocatur feudum in curte. Potest autem contingere ut dominus quedam feuda habeat, quæ nondum certæ curiæ assignavit; & hæc nomine feudorum extra curtem veniunt. Atque hæc inter pretatio nostris quoque feudis accommodari potest, quippe quæ regulariter sunt in curte domini, illâ vide-

licet, quam dominus intuitu feudorum ex ærario vel penuario constitutorum habet. An autem feendum sit in curia, non exigui momenti quæstio est, cum feendum in curte per pares curiæ, feendum vero extra curtem per extraneos quoslibet probari possit, & hoc ex naturali ratione.

TH. XVI.

Sed festinandum ad finem. Et cum ea, quæ hactenus proposita sunt, constitutionem feudorum nostrorum concernant, liceat adhuc brevibus aliqua destructionem earum spectantia annotare. Sunt autem modi extinguerendi feuda nostra iterum vel communes vel proprij. Ad illos pertinet 1. Felonia, quâ vasallus ob delictum in dominum commissum vel ob aliud crimen capitale feudo privatur. Hæc uti omnia in genere feuda, ita etiam nostra resolvit. Sequitur alienatio sine domini consensu facta. Et quamvis nulla in feudis nostris res sit, quæ distrahi possit, queritur tamen an jus mihi competens vendere vel alio modo alienare possim? Resp. negando, quia à domino finita administratione revocati potest, & regulariter etiam in his feudis personæ fides respicitur. Alienato autem seu oppignorato ærario vel penuario cum onere suo ad emptorem vel creditorem transire censetur. Exemplum memorabile reddituum ex Caneva provenientium oppignoratorum suppeditat transactio Hagenensis, qua Episcopus & Capitulares Argentinenses reservato sibi in vasallos dominio directo redditus ex celia, quæ à butyro non habet, & Germanicæ, Zollkeller vocatur, provenientes jure pignoris Civitati nostræ, cum onere præstationes Epitcopi vasallis exsolvendi cesserunt. vid. art. 6. dict. transact. add. Magnif. DN. D. Schilter, ad Chron. Königshoven pag. 741. Hunc modum finiendo feuda excipit renovationis investitura omisso, quæ in feudis

dis nostris ordinarie locum non habet; interdum tamen si scil. post mortem dantis vel accipientis non revocetur, investitura opus est. Huc quoque referunt deteriorationem rei in feudum concessae. Cum autem in feudis de Cam. vel Can. vasallus nihil corruptioni obnoxium possidat, patet exinde, ad feuda nostra non pertinere. Idem quoque de interitu rei dicendum, nisi ad eum casum respicias, quæ totum, ex quo redditus hi Camerale solvuntur ærarium evacuatum sit, de quo casu vid. b. præced. Ad consolidationem quod attinet, illa nihil aliud est, quam dominii utilis & directi confusio. Quoniam autem in feudis nostris, neque utile neque directum dominium, rei scil. sed juris invenitur, manifestum est, talem quoque non esse consolidationem, qualis datur in rebus naturaliter immobilibus, sed dominum tantum liberari a præstationibus annuis. Quoad præscriptionem notandum dominum regulariter jus vasalli tempore legitimo præscribere posse, secus in nostris, quia stipendium & officium, quod servitorum vice geritur, sunt correlata. Hoc autem revocato, illud sua sponte cessat. At vasallus præscribere non valet, cum nihil possidat, nisi dicas, in tantum posse, ut ex feudo Cameræ personali fiat jus vel feudum anuorum reddituum reale seu perpetuum. Plures adhuc finiendi feudi modos communes hic recensere possemus. Sed cum illos omnes prolixius examinare instituti nostri limites egrediatur, quosdam adhuc extinguendi feuda nostra modos proprios recensebimus, quos inter referimus 1. contrariam domini constituentis vel vasalli accipientis voluntatem; datur enim regulariter propter administrationem, qua revocata, feudum quoque extinatum censetur nisi fiat intempestive. 1. feud. 2. 2. Mortem alterutrius sc. quoad facultatem repetendi. Quod si verò heres non repeatat, tacite approbasse creditur. Ex-

E 3

cipit

cipitur feudum Soldatæ, quod morte accipientis necessario extinguitur, quia nulla ibi administratio commissa, sed vel merè gratuitum est ex communi Dd, sententia; nemo autem sine ratione liberalis præsumitur; vel datur militi equitanti non equiti, & quidem loco stipendi, quod alias mercedis titulo daretur; sicuti autem mortuo operarum locatore, merces cessat, ita quoq; hic mortuo milite stipendum infundatum. Deficit enim causa impulsiva. Huc quoque pertinere volunt pauperatem domini; sed cum solutionem tantum differat, non vero feudum ipsum penitus tollat, jamque §. preced. de eo tractatum fuerit, actum denuò agere, sicq; cramben bis coctam proponere nolumus. Deberent quidem etiam affinia fendorum nostrorum recenseri. Sed cum jam supra §. 13. ubi de formâ egimus, ea attigerimus, institui autem nostri ratio nos vela contrahere jubeat, filum eapropter stilumque abrumpimus. Antequam autem tollamus manum de tabula, Amicum lectorem obtestamur, ut pro eâ quâ est animi æquitate quibusunque conati- bus meis favere, simulque cogitare velit, longe fa- cilius esse accusare, quam defendere, vul- nus infligere quam sanare.

TANTUM,

ÆTERNÆ JUSTITIÆ SIT
GLORIA SEMPITERNA.



COROL-

COROLLARIA

Ex Jure Naturali.

Succes^so ab intestato J. N. regulam facit, testamentaria exceptionem.

Ius Testandi ex ipso rerum dominio naturaliter fluere, atq^{ue} exinde J. Nat. esse male asseritur.

Testamentum solennitatibus J. C. substitutum J. N. atq^{ue} in conscientia obligat heredem ab intestato.

Interdum tota legitima Juris positivi tantum est.

Ex Jure Publico.

Testamenta Principum absq^{ue} insinuatione facta neque attentis J. C. solennitatibus valent.

Princeps de conjugis sue bonis et consentiente testari quidem potest sed non ad effectum irrevocabilitatis.

Restric^tior est extraneos heredes instituendi facultas Principum quam privatorum.

Legitima debetur etiam persona illistribus, nisi introducio primogeniturae jure apanagium in illius locum succedit.

Ex Jure Civili.

In computatione legitima exheredatus partem facie liberi in legitima institutio.

Interdum legitima neg^t triens est neg^t semis.

Quota bonorum ceteris paribus pinguor est quota hereditatis.

Legitimam vullo plane onere gravari posse, male simpli citer affirmatur.

Cum



*Um membra morkus disjicit,
Animus vigeat robustior.*

Pius canit Prudentius.

Exempla præstat ROESCHIVS;
Morbona cui non prævaler,
Quin is sacris inserviat
Nostræ Themistis infulis.

Gratulab. P.

Johannes Schilter.

Nobilissimo DN. ROESCHIO
de FEUDIS CAMERÆ & CANEVÆ
inauguraliter disputanti.

Qui Cameræ simul & qui pingua feuda Canevæ
Curato scripto jam Themidi perhibet;
Huic voveo ac aquum est, Augusta ut, prater ho-
nores
Queis mystas proprios sueta beare, Themis
Largiter accumulet, sic præmia grata rependens,
Queque Caneva feret, qua Cameramque beant!
dignissimo dudum Jurium Candidato
I. mq. p.

Johannes Henricus Feltz, D.
PP. p. t. Fac. Jurid. Decanus.



ULB Halle

003 594 807

3



3b



B.I.G.

Farbkarte #13



18
10
33
782
1701, 9^a

I. N. D. N. F. C.
DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
F E U D I S
DE CAMERA
ET CANEVA,
Quam
J. B. G.
Affulgente Divini Numinis Clementia,
Decreto & Authoritate
Magnifici JCtorum ordinis
In Illustri Argentoratensis Universitate
Pro
Summis in Utroq; Jure Honoribus
& privilegiis Doctoralibus ritè impetrandis
SOLENNI
ac placido Eruditorum Examini
subjicit
MATTHIAS ROESCH, Argentor.
Ad d. Junij Anno M DCCI.

ARGENTORATI,
Ex Officina JOSEPH STÆDELII, Acad. Typogr.

